

singulis bonis, possessionibus, mansis et annuis redditibus  
 beati Ostdages, cuius corpus in eadem requiescit ecclesia,  
 cum eorum fructibus, proventibus, juribus et obvencionibus  
 universis ac aliis eorum bonis, curiis, domibus casa-  
 libus, decimis grossis et minutis, agris, pratis, pascuis,  
 silvis, nemoribus et novalibus, nec non ducentas marcas  
 puri argenti pro annuis redditibus et possessionibus, ad  
 predictas sex prebendas, decanatum et vicarias eo largius  
 fundandas et dotandas comparandis et emendis, donatione  
 irrevocabili et perpetuo duratura obtulit, deputavit, con-  
 tulit, assignavit, dedit et donavit, nichil sibi vel suis  
 heredibus et successoribus in eisdem bonis juris vel do-  
 minii reservando, ita videlicet et ea intencione, quod  
 omnes et universi fructus, redditus et proventus de hujus-  
 modi decimis, curiis, possessionibus et agris ac de pre-  
 dicta curia Luchtehoff et universis bonis beati Ostdages  
 ac de quibuslibet aliis bonis supranominatis provenientes,  
 nec non et universi fructus, redditus et proventus ad  
 eandem ecclesiam parochialem pertinentes in quibusunque  
 bonis, possessionibus, agris, pratis, pascuis, silvis et ne-  
 moribus vel aliis bonis existant cum omnibus eorum  
 juribus et pertinenciis ac obvencionibus universis inter  
 decanum, qui duplicem habebit porcionem, et sex cano-  
 nicos, ad eosdem canonicatus et prebendas instituendos,  
 qui continue in eis resideant, nisi de licencia decani pro  
 tempore existentis ad tempus congruum ex justis et  
 rationabilibus causis absentes fuerint, equaliter salvis  
 cottidianis distribucionibus et altaris ejusdem ecclesie  
 oblationibus nec non competentibus redditibus, dictis dua-  
 bus vicariis de bonis hujusmodi ministrandis, de quibus  
 ipsi decanus, canonici et capitulum instituti disponent et  
 ordinabunt, distribuantur et temporibus congruis divi-  
 dantur, qui, inquam, decanus, canonici et capitulum in  
 omnibus suis et ejusdem eorum ecclesie agendis et exer-  
 cendis se statutis et consuetudinibus dicte nostre Minden-  
 sis ecclesie et ejus capituli ac institutionibus spiritualibus  
 et divinis per omnia conformabunt.